ROBERTVS NEPERVS
AVCTORIS FILIVS LECTORI
MATHESEOS STVDIOSO.
S.

ANTE aliquot annos (Lector Philomathes) Mirifici Logarithmorum Canonis vsum, memoriæ semper colendæ parens publici Iuris fecerat; eius verò syntaxin ac creandi methodum, vt ipse monuit. Pag. 7^a. & vltimâ Logarithmorum, certo consilio Typis committere noluit; donec quodnam esset eorum, qui in hoc doctrinæ genere versati sunt, de hoc Canone Iudicium ac censura exploratum habuisset. Mihi verò, post ipsius ex hâc vitâ commigrationem certis tecmeriis constat, Mathematicarum disciplinarum peritissimos nouum hoc Inuentum plurimi facere; & nihil iis gratius accidere posse, quàm si Mirifici huius Canonis constructio, aut ea saltem, quæ ipsi aliquid lucis afferre possint, publicæ vtilitatis gratiâ in lucem prodeant. Quamuis igitur mihi probè perspectum sit, ipsum authorem huic opusculo extremam manum non imposuisse; feci tamen quantum in me fuit, vt horum honestissimo desiderio satisfieret, eorumque studiis præsertim qui imbecilliores sunt, & in ipso limine hærere solent, hac in parte consuleretur. Nec dubito, quin hoc opus posthumum multò perfectius ac elimatius in lucem prodiisset, si ipsi authori patri charissimo (in quo, ex optimorum hominum sententiâ, inter alia præclara hoc eximij eminebat, res difficillimas methodo certâ & facili, quàm